

Letter 109: 20 September 1521, Frankfurt, Andreas Cratander to Capito

The manuscript of the letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki.Ar. 25a, 48.

Andreas Cratander Capitoni S.

De tua apud Cardinalem Moguntinum conditione valde gratulor, at de reditu ab aulico strepitu ad nos, ut ex literis tuis intelligo, non possum non vehementissime gaudere, qui omnium quae iam possideo te autorem agnosco. Brechtero fl. 100 tuo nomine dedi. Opusculorum aliquot
5 Ioanni Lor bibliopolae ad te deferenda praestiti, quorum tituli sunt: *De confessione*, *De gaudio resurrectionis*, *De laudando in Maria Deo*, *De moderandis disputationibus*, Io. Oecolampadio nostro autore. Item: *De vita mosaica* Gregorii Nisseni. Frobenius vero Tertullianum et indicem in Hieronymum istoc nuntio ad te misit. Bertochini repertorium non potui invenire, nec extiterunt Ovidii opera Aldina litera. Absolutae nondum sunt Erasmi epistolae. Caeterum cum Frobenio
10 mihi adhuc bene convenit, nisi quod eidem non omnino placet tanta inter me et Ioan. Coberger, Franciscum Birkmann et Lucam Alantsee, magni nominis bibliopolas, concordia, familiaritas et amicitia; nam timet tandem suae sorti. Sum enim impressurus per hiemem divum Chrysostomum, praefatorum dominorum sumptibus, id quod Frobenium male habet. Coniunx et Polycarpus tuus optime, ut spero, valent. Intestina bella apud nos Basileae timentur, magnae
15 equidem seditiones quotidie exoriuntur, pars quidem maior pro Caesari, pars regi Francorum suppetias ferri volunt, quid tandem fiat nescio. D. Ursinum Velium, celeberrimum poetam et graece doctissimum domi mea alo, item Conradum Grebelium, egregiae indolis iuvenem, cuius soror Ioachimo Vadiano nupsit, quo officina mea huiusmodi doctorum virorum conversatione
20 celebrior instructiorque futura sit. Postremo rogo si quid Chysostomi habes, quod praelo dignum sit ultra priorem aeditionem, quam ocius mittas. Velim enim ut tam divinum opus tua praefatione exornatum in lucem prodiret. Vale et tuum Andream, ut facis, redamare perge. Valentinus noster optime te valere optat. Ex Francofordia, 20 Septemb. anno MDXXI.

And. Cratander tuus.